

inpresso dextrae mucronem extorquet et alto
 fulgentem tinguit iugulo atque haec insuper addit:
 'en agros et quam bello Troiane petisti,
 Hesperiam metire iacens: haec praemia qui me 360
 ferro ausi temptare ferunt, sic moenia condunt.'
 huic comitem Asbyten coniecta cuspide mittit
 Chloreaque Sybarimque Daretaque Thersilochumque
 et sternacis equi lapsum cervicæ Thymoeten.
 ac velut Edoni Boreae cum spiritus alto 365
 insonat Aegaeo sequiturque ad litora fluctus,
 qua venti incubuere, fugam dant nubila caelo:
 sic Turno, quacumque viam secat, agmina cedunt
 conversaeque ruunt acies; fert impetus ipsum,
 et cristam adverso curru quatit aura volantem. 370
 non tulit instantem Phegeus animisque frementem:
 obiecit sese ad currum et spumantia frenis
 ora citatorum dextra detorsit equorum.
 dum trahitur pendetque iugis, hunc lata resectum
 lancea consequitur rumpitque infixam bilicem 375
 lorica et summum degustat volnere corpus.
 ille tamen clipeo obiecto conversus in hostem
 ibat et auxilium ducto mucrone petebat,
 cum rota praecipitem et procursu concitus axis
 inpulit effunditque solo, Turnusque secutus 380
 imam inter galeam summi thoracis et oras
 abstulit ense caput truncumque reliquit harenae.
 Atque ea dum campis victor dat funera Turnus,
 interea Aenean Mnestheus et fidus Achates
 Ascaniusque comes castris statuere cruentum, 385
 alternos longa nitentem cuspide gressus.
 saevit et infracta luctatur harundine telum
 eripere auxilioque viam, quae proxima, poscit:
 ense secent lato volnus telique latebras
 rescindant penitus seseque in bella remittant. 390
 iamque aderat Phoebus ante alios dilectus Iapyx
 lasides, acri quondam cui captus amore
 ipse suas artes, sua munera laetus Apollo